



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Susanna Virg. Mart. 11. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

II. Aug. VITÆ SANCTORVM. 391
*Quid tendis pedem ultra te? cadere vis, non ascendere,
à gradu incipe, & ascendisti.* Aug. epist. 18.

S. SUSANNA VIRG. MART.

II. Augusti.

VNam lex vetus nobis *SUSANNAM* laudat, pu-
dicitiae matronalis exemplar; multò rectius
nos alteram, virginitatis speculum & post sangui-
nem pro Christo fusum longè pulchriorem illà
alterà. Quare oculos etiam Maximiani in se, sed
longè antè Christi rapuit; cuius thalamo ut ser-
varet sese, illius amores contempsit. Quid, quòd
eos, qui conciliare *SUSANNAM* Maximiano adla-
borarunt, prius *SUSANNA* Christo conciliavit?
Eam ob rem cum grave virgini certamen immi-
neret, ab Imperatrice Serenà (Christo clam jam
tunc addicta hæc erat) in aulam evocata est. Ibi
cum totos dies precibus se & adhortationibus
mutuis armassent, in pugnam denique proditura
SUSANNA domum concessit. Nec multò post ad-
fuit Maximianus & malis auspiciis amoris ædes
castas necquicquam oppugnavit. Nam rectius
SUSANNA Angeli ductu pugnavit, qui ab ædibus
repulit profanum. Successit Maximiano Imp. Dio-
cletianus, Macedonio missio, qui ad Deorum sa-
crificium velut ad fœdus invitaret tam fortiter
decertantem. Sed nimirum geminum hostem
triumphare etiam hæc *SUSANNA* debebat. Et verò
triumphavit, rectiusque Deo ipsam humi affli-
ctam dæmonis statuam sacrificavit. Mox eidem
post multa verbera gladio cæsa sanguinem etiam
suum litavit. Istum peplo suo excepit Serena, do-
mumque veluti ingentem thesaurum reportavit.
Et reverà purpuram, qualem nunquam antehac

etſi Imperatrix, & in eâ tot gemmas, quot guttas portabat. *Ex Surio.*

O anima, quæ in te Christum habes, attende tibi, tibi ipſi vaca: immortalis eſt Chriſtus ſponſus tuus; cave eum deſeras, ne ab eo derelicta diligas inimicum tuum ab omni juſtitia pulchritudine remotiſſimum.
S. Ephrem de exercitat.

S. CLARA V. 12. Auguſt.

FRanciſci illuſtris partus virgo CLARA eſt, mater eadem omnium virginum, quæ Franciſci inſtitutũ æmulantur, jam antè parenti ſuæ, quàm naſceretur, à Chriſto è cruce laudata. Ergo unicum ſexûs ſui miraculum ea facere molles virgunculas docuit, quæ multi in viris miramur, pauci imitamur. Aſperrimam vitæ rationem, atque ultimam, quam in ordinem ſuum invexit, paupertatem cordi DEO eſſe, vel tunc probavit, quando abundare in vacuo etiam vaſe oleum fecit, & dimidium panem quinquaginta omnino virginibus ſufficere. Neque erravero, puto, ſi Moyſi etiam feminam æquiparavero. Certè obſidione gravi cùm Aſſiſium cingeretur, precibus ante Euchariſticum epulum CLARA depugnans omnes in fugam hoſtes egit, certiorque de victoriâ ab ipſomet ſponſo Chriſto eſt facta. Ab hoc aliàs nunc ad naſcentis cunas, nunc ad patientis tormenta ſpectanda cùm evocata eſſet, Crucis deinceps ſigno ita uſa eſt, ut contra morbos Alexiteriorum, contra orci minas Panopliæ vicem eſſet. Jam moriens uti è terris cum purpurato ſenatu ſummum Pont. ita è calis cum candido virginum agmine virginum Reginam, & cum hac ſummum Numen ad ſe pertraxit; itaque in cælo fuit,